



D. SALOM. GLASSII  
 LOGICA SACRA,  
 five  
 LOCORUM S. SCRIPTURÆ  
 CONSIDERATIO LOGICA,  
 ex MSto publici juris facta  
 per  
 JOH. GOTTFR. OLEARIUM, Superint.  
 & Consistorial. Arnstad. Schwartzb.

**N**on est nostri instituti perfectam Canonum Logicorum, quorum in SS. Theologiæ studio potest esse usus, proponere διήγησιν. Sed de præcipuis tantum agere considerationibus, quæ ad Scripturæ explanationem atque interpretationem possunt aliquo modo conducere.

Ad tria Capita referemus ea, quæ huc spectant, ut agamus:

1. De causarum
  2. - propositionum
  3. - ordinis s. methodi
- } doctrina.

CAPUT I.  
 DE CAUSARUM DOCTRINA.

**S**criptura Sacra unum eundemque effectum modo cause principali, modo cause instrumentali ac organice adscribit, utrumque proprie & sine tropo. Ratio hujus est: Efficiens enim principale & instrumentale non sunt opposita; sed ἐναρμόνως ad unum effectum producendum conspirant, unde fit, ut de utrisque recte & proprie idem effectus (non tamen παρῆτως, sed ἀλλῶως & diverso modo) prædicetur. Quicquid enim insluit in esse effectus (ut loquuntur Scholastici) h.e. quicquid ad productionem rei una concurrat, de eo effectum ipsum merito enunciat. Exempla producemus, partim

Ex salutis nostræ } efficientia  
 Ex aliarum rerum }

I. De gratiæ & salutis efficientia THOMAS

p. 3. summ. q. 62. a. 1. ita loquitur: *Causa agens duplex dicitur, principalis & instrumentalis. Principalis quidem agit per virtutem sue forme, cui assimilatur effectus. Sicut ignis suo calore calefit. Et hoc modo nihil potest causare gratiam nisi DEUS: quia gratia nihil est aliud, quam quedam participata similitudo divinæ naturæ: Causa vero instrumentalis non agit per virtutem sue forme, sed solum per motum, quo movetur a principali agente.* (Notate hoc operis operati defensores) & hoc modo Sacramenta novæ legis (& verbum θεόπνευσον) gratiam causant; Adhibentur enim ex divina ordinatione hominibus ad gratiam in eis causandam.

Calviniani effectum spirituales vere & proprie de Sacramentis (ut causa salutis instrumentali) prædicari posse negant, sed tantum figurate & metonymice. PISCATOR in Germ. Bibl. doctr. 1. ex Act. VII. *Efficacia remittendi peccata & salvandi non consistit in sanctis Sacramentis, sed tantum in DEO & ipso gratia per Christum parta & confirmata* KECKERMANNUS Syst. Log. c. 15. *Baptismo atque aliis Sacramentis tribuitur regeneratio, & alii ejusmodi effectus spirituales predicatione impropria.* vid. MEISNERUM p. 1. Philos. S. f. 1. c. 3. q. 7. & D. GERHARDUM de ministr. §. 253. & f. it. §. 251.

*Dicta, quibus effectus spirituales verbo DEI attribuuntur:*

*Psal. CXIX, 92. Nisi Lex tua fuisset consolatio mea, periissem & c. v. 105. Lucerna pedibus meis*

Rrr rrr 2

ver-